



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.4. Marci Guterrij fidelitas tentata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

38 Cap. IV. M. Guterrij exemplo animam

Luculentè id demonstravit *Hochenvila*, unde eruptiones factæ non solùm itinera infestant, sed etiam omnes circumiacentes pagos & oppida, & arces tributarias fecerunt. Talis arx erat *Guia*, regi in oculo spina, immo lancea. Delicata res est oculus, ne minimum quidem ferre potest puluisculum, quid non sentiet, si spina, immo lancea pungatur? Non poterat *Alfonsus* pati, ut *Didacus* in regno suo nomen, ne dum arcem haberet, in quam tot prædæ conuehebantur. Itaque sicut, qui reliquo toto corpore est sanus, si vnicum adhuc vlcus sentit, quiescere non potest, donec rumpatur: ita neque rex potuit esse tranquillus, donec ea arce potiretur. Pro ea occupanda, omnem aleam censuit tentandam, lapidem omnem mouendum.

IV.
MARCI
GUTERRIJ
FIDE-
LITAS
TENTATA.

Iam attendite diligenter, & discite omnes, quid vos, hoc tam turbulento tempore, vel facere, vel fugere par sit. Omnem *Alfonsus* mouit lapidem, ut arce potiretur, consilijs itaque varijs usus est. In primis misit legatos ad *Marcum Guterrium*, qui arcem peterent sibi nomine regis tradi, ad quem titulo iustitiæ pertineret, tamquam bonum exulis, fisco addictum regio. Ibi
tum

tum patuit, quàm etiam belli ducibus sit necessarium, vt docti sint, vel doctos secum habeant. Sæpe enim incidunt casus, in quibus non secundùm animi impetum, aut hostis prætensionem, sed ex lege agendum est. Legatis igitur, jus regis obtendentibus respondit *Marcus*; Meminisse se, quibus rex ab *Vrraca* nouerca affectus sit iniurijs; quòd autem *Didacus de Haro*, herus suus, frater illius sit, non videri sibi causam sufficientem eius puniendi. *Vrracam* neque consilio, neque præsidio vniquam *Didaci* vsam, in Infante regio persequendo. Solo igitur metu sororis ab exilio reducendæ *Didacum* fratrem eius, cum illa è regno, atque arce sua eiectum esse. Quæ causa si valeret, multos fratres, ob sororum suarum delicta, innocenter perituros. Retulerunt regi responsum tam cordatum, qui missi fuerant, irrita profectio. Consilium igitur alterum excogitauerunt, decreueruntque, auro tentandum esse Castellanium: oraculum Apollinis Pythij ad Philippum regem Macedonum fuisse, illum victoria potiturum, si pugnaret hastis argenteis: Dictumque esse vetus Philippi eiusdem regis, Nullam tam esse munitam arcem, quæ capi non

90 Cap. IV. *M. Guterrij exemplo animam*

Cic. lib. 1.
offic. Val.
Max. lib.
7. cap. 2.
Glabr.
lib. 4 rer.
Germ. c. 5

possit, si quidem a sinus auro onustus in eam
queat penetrare; plumbeis glandibus castra
quati, aureis autem euerti. O aurum, quàm
es proditionibus procurandis idoneum,
quando etiam summi in bello vertices per
te tentantur? Et ut à Glabro relatum est,
quando *aureo pugillo etiam murus ferreus*
frangitur. Mittuntur itaq; iidem denuo le-
gati, & *Marcum* ingentibus promissis ag-
grediuntur; addunt titulos, addunt hono-
res; addunt officia ac dignitates, vnà cum
pecunijs à rege largiendas. Hic interrogo
non jam fortissimos atque honestissimos
duces, non generosos milites, sed delicatulo-
los illos, & cincinnatulos, vaneque instar
puellarum pictos, & amictos iuvenes, qui
non ab ordine inferiore, non ab experientia
militari, sed à gynæceo, à colu & acu, per-
saltum, promoti sunt ad summos aut me-
dioximos belli honores; qui putant bellare,
esse otiosi, ludere, potare, comessari, sal-
tare, amare, scortari, venari, hostem decli-
nare, amicos spoliare, qui non pro glo-
ria vel Dei, vel sua pugnant: sed cum for-
tissime agunt, sinunt, se à meretricibus
morderi, aut in honorem earum ex earum
calceis, aut matulis bibunt: hos interrogo,
inquam,

Inquam, quid illi fecissent, in tali occasione? Cùm S. Hieronymus scribat: *De cubiculo ad aciem, de umbra egrediens ad solem: corpus assuetum tunica, lorica onus non sustinet: caput opertum linteo, galeam recusat: mollem otio manum durus exasperat capulus: fortior autem miles ex confragoso venit. Quin & Vegetij testimonio, inutilis est omnino militia nutritus tenerè, & delicis assuetus.* Et Petrus Bles. Bles. *Hi sunt, ait, quorum testimonio laudari ep. 49, audis, in otio occupationes, in pace pradas, inter arma fugas, inter vina victorias, cùm sint in pratoris leones, in præliis lepores.* Hi ergo tales, absente domino, præsentè auro, quid facturi fuissent? An non respondissent; Herus meus abest; versatur in exilio; numquam est rediturus; numquam hanc arcem suam possessurus; immo neq; visurus. Quid faciam? an regem differam? an legatos re infecta remittam? an meos subditos castellanos periculo obijciam? Scio, Dominus, si ipse adesset, arcem traderet. Itaque date mihi aurum, & accipite castrum. Hoc dixisset aliquis proditor, non ductor. Sed longè aliter respondit *Marcus Guterrinus.* Quid ad me, cum tali legatione, venistis? quem me esse putatis? an Iudæ imitatore

qui

S. Hieron.
in ep. ad
Theodor.
monach.

Petr. Bles.
ep. 49,

qui dominum suum pro mercede prodat? Apagite cum vestro auro: vos tales honores ac dignitates suscipite, quæ per scelus acquisite dedecus sunt, non decus. Ego fidem semel datam pluris facio, quàm omnes regis Hispaniæ opes. Plus vendit, quàm arcem, qui domino suo est infidelis. Nam vnà cum fide cælum amittit, & in omni potestate, nomen conseruat proditoris. His auditis legati, arma, exercitum, obsidionem, excidium, mortem minitantes, & extrema mala, discesserunt: quibus ille valedicens adiecit: Dicite regi vestro, me *Didaco* dexteram dedisse, vt eam ferro consecrarem. Pulchriùs ornatur gladio, quàm auro dextera militis bello consecrata. Miles sacramento religatus, non capitur auro, nisi contra naturæ, & Dei legem, omnia humana ac diuina iura contemnat; finem suum vltimum, Conditorem, & Conditoris beneficia, immo & Redemptionem suam, Iudicem Deum, nihili faciat. Cùm igitur ego vel *Didaco* datam fidem nolim fallere, etiamsi mille mihi mortes forent patiendæ; Numinis amicitiam pro auro, immo pro toto mundo contemnã, & iram perfidus promerebor? Cum hoc responso legatos dimisit frementes. la.